

I. N. D.

DISCURSUS
TELEOLOGICO-PHYSICUS
CIRCA
NUBES,

QUEM,

SUFFRAG. AMPLISS. ORD. PHILOS. IN INCLITO
ATHENÆO ABOËNSI,

Sub MODERAMINE,

MAXIME REVERENDI *atque* CELEBERRIMI VIRI

D:NI J A C O B I
GADOLIN,

S. S. THEOL. DOCT. ET SCIENT. NATUR.
PROFESS. REG ET ORD. ACAD. REG. SCIENT.
SVEC. MEMBR.


Pro GRADU MAGISTERII,

PUBLICÆ CENSURÆ DEFERT,


GUSTAVUS LAUR. BOLIN,

WESTRO-GOTHUS,

IN AUD. MAJ. DIE XVI. MAJ. ANNI MDCCCLX.



ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.



D. D.

§. I.



Ndolem nostram talem esse deprehendimus, ut quæ sensibus nostris quotidie obversantur, tanta eos dulcedine non permulcent, quanta solent, quæ vel rarius vel singulari quadam ratione eos adficiant. Hoc satis superque comprobant Nubes, quæ quoniam capitibus nostris perpetuo fere imminent, cœu Phænomena nullius pretii, nullaque digna consideratione a nonnullis temere habentur. In illis tamen miram summi Opificis oeconomiam diligens quilibet naturæ Iustrator veneratur. Svavissimus enim in iis modus, atque concinna in certos, naturæ conservationi utiles & necessarios usus, conspirans ratio, cuiilibet attendenti, sepe conspicienda præbent. Nubes itaque inter excellentia naturæ opera, in quibus tanquam in clarissimo speculo, sapient-

sapientia Auctoris & bonitas luculentissime ac vidissime conspicuntur, referendas esse nemo sobrius dubitat. Qualia vero præconia perfectionum Divinarum agant Nubes, in hocce meletemate, ad Aristophanis, quod ingenue fatemur, lucernam minime elucubrato breviter adumbrabimus.

§. II.

Meteoron, quod jam considerandum venit, aqueum, quod modo in ortu & statu conservationis, modo in dissolutione partium constitutum observamus, fluido licet innatet aëreo, ab ejus ramen materia diversum globo terraquo suos debere natales, inter recentiores naturæ peritos abunde constat. Solers enim detexit industria, quod ex omnibus fere, in superficie telluris reperiundis corporibus, pro diversa eorum natura emittantur effluvia, quorum quæ sunt aquæ vel aquæ affinia, vapores nuncupari solent; alia vero exhalationum nomine insigniuntur, corporum scilicet siccorum & pingvium spiramina. Licet terra, aqua & reliqui trium Naturæ regnorum incolæ, præsertim dum corpora putredine dissoluta & volatilia facta fuerunt, stupenda molecularum copia aërem ditent; attamen prout consistentia & cohærentia ipsorum major fuerit minorve, plura vel pauciora emittunt effluvia. Hinc liquida corpora, quorum particulæ facile cuicunque cedunt vi illatæ, largius ut plurimum effusiusque in atmosphæram adscendunt, atque ad nubes formandas ibidem confluunt. Impri-

mis vero aqua, abundantiorem nubibus exhibit materiam; majorem enim saltim dimidiam partem superficie terrestris hæc occupat, ideoque illius benignitas quasi non minor est quam facultas.

Diversorum corporum moleculas vel fermentatione vel agitatione, qua in se invicem impelli aut fricari forte contingit corpora, vel continua aëris alluvione vel igne vel aliis quibuscumque modis separari atque ad adscensum mox cogi probant Physici. Ignem vero & aërem esse palmaria admicula, quorum subsidio vapores in sublime scandant, inde patet, quod minutissimæ aquæ partes, seposita expansione, eandem habeant gravitatem specificam ac ingens ejusdem moles, ideoque ob minorem gravitatem specificam aëris, in superiores atmosphæræ regiones adscendere & in iis sustineri non possunt. Beneficio vero ignis, majore accedente gradu caloris, in majus expanditur volumen aqua evaporata; Ast gravitas specifica ceteris paribus est in ratione inversa triplicata diametrorum auctarum. Hinc dum rarefit aqua in vapores disparsa, gravitatem specificam minorem, quam est illa aëris circumfluentis, consequitur; quamobrem ad tenorem legum Hydrostaticarum, non potest non in altum ferri, & ab ab aëre sustineri. Fuere qui modum, quo vapor formatur, explicare annisi sunt; imprimis vero illa quam plurimis arrisit hypothesis, qua statuitur particulas aqueas expandi in vesiculos sphæricas, aërem, qui intra poros aquæ latuit, calore valde extenuatum continentes, adeo ut totius sphærulæ

sphærulæ gravitas specifica minor sit quam aëris externi. Sequitur ex hac hypothesi, quod vapor calidus, accedente refrigeratione, redeat in statum priorem aquæ, aër namque ut calore expanditur, ita frigore condensatur. Confirmant experimenta vaporem re ipsa talem esse; etenim in machina, quæ alternis vicibus evaporationis aquæ ferventis & refrigeratororum vaporum agitatur (*Eld- och luft-mashine*) & quæ admodum valida esse solet, hæc vaporis affectio utramque facit paginam. Verum hæc vaporis cum hypothesi conformitas ipsam tamen hypothesin non confirmat; Etenim vel vulgi experientia condocet, etiam illam aquam, quæ eandem cum externo aëre habet caloris temperiem, in vapores resolvi aut exsiccari. Accedit & hoc, quod doceant experimenta etiam in vacuo quale ope antliae pneumaticæ exhiberi solet, vapores adscendere; immo constat præterea quandoque particulas aqueas, a tota massa avulsas, tanto impetu exinde resilire ut ad insignem adscendere queant altitudinem, quasi dixeris vim attractivam in vim repulsivam subito mutari (a). Præterea vel tantillum divulsi vapores vi ventorum, qui ipsimet sursum haud raro ferruntur, ulterius in altum tolluntur, atque in superiori

(a) De hac re nemo dubitat, qui vidit cataractam Trollhätta fluminis Gothici, (Giötha Elf) ubi immanis copia particularum aquearum ex præcipiti aquarum lapsu in scyllas aquasque subjacentes, nebulæ vel potius sumi instar alcum petit.

riori aëris regione colliguntur. Ratio hujus adscensus evidentius patescit, si cogitemus candelam ardenter recipienti vitro ad antlam pneumaticam applicato inclusam; hujus scilicet flamma in libero aëre sursum porrecta atque cuspidata est, dum vero aér paulatim educitur, amissa quasi cuspipe applanaatur; atque dum aëris evacuatio continuatur, non solum fumus deorsum labitur, sed & flamma infime hæret donec tandem penitus extingvatur. Contrarium evenit in aëre libero; ignis namque dum consumit materiam ardenter, in particulas eandem dissolvit quam minimas, quæ rarissimam constituunt massam in aëre ceu fluido specifice graviori adscendentem; promovetur hic adscensus ab affluente in ignem aëre, qui itidem rarefit atque ad adscensum cogitur. Quod hæc reapse sic contingant, patet ex flatu aëris a parte inferiori undique in flammarum directo, imprimis vero in caminum ardenter per ostium irruente, nec non ex flatu, qui ex flammarum sursum tendit; quæ Phænomena non possunt non esse in vulgus notissima. Igitur quam primum corpus aliquod, sive ejusdem quædam pars in massam effluviorum tenuissimam quacunque demum ratione resolvitur in aëre libero, non potest non fieri, quin vento citius tardius eadem effluvia hac illuc ferantur atque in sublime quoque eleventur. Congeries vaporum talis, quæ eam habet densitatem ut videri queat, pro diverso situ diversam fortitur nomenclaturam, scilicet si in inferiori atmo-

sphæræ parte hæret, nebula appellatur; si vero in superiori aëris regione conspiciatur, nubes vocatur.

Schol. Dum Divinus Scriptor Gen. I: 6. 7.

innuit Deum divisisse aquas quemadmodum nonnulli exprimunt in supra cœlestes & infra cœlestes, per illas supra cœlestes nubes esse intelligendas, dubitandum non est. Ut enim describit Moses intermedio expanso separatas fuisse aquas superiores ab inferioribus, ita reapse nubes, interposita regione aëris infima, distant ab aquis subjectis in maribus, lacubus flaviisque. Talis præterea est indeoles nubium, ut facta a potiori denominatione aquarum nomine haud immerito venire debeant, quia aquam revera continent, immo stupenda haud raro aquarum copia turgent.

§. III.

Nubes communiter dicuntur innatare aëri, verum id sic non intelligendum est, quasi, navis instar mari insidentis, in atmosphæra supernatent nubes. Naves namque superficiem maris occupant, sed nubes intra aërem ac in medio ejus fluunt, adeo ut hoc respectu piscibus potius quam navibus comparari debeant; omnium autem optime ex conditione instrumentorum, quæ Diaboli Cartesiani vocantur, & quæ, prouti eorundem gravitas specifica vel augetur vel minuitur, intra aquam per vices descendunt vel adscendunt, nubium natatio intelligitur. Licet enim invisibile sit fluidum aëreum materia tamen gravi constat; & pars quælibet aëris liberi, vi gravitatis suæ, incumbit cuicunque corpori subjecto, idemque premit, ut ex Aerometria

rometria constat; hinc fit ut partes Atmosphæræ inferiores superioribus, a quibus comprimuntur, sint densiores. Quo antem densior est aér, eo fortior rem, vi Elasticitatis suæ exercet nisum contra vim superincumbentem, quamprimum igitur moleculæ aquæ adeo fuerint expansæ, ut minorem quam aér ambiens habeant gravitatem specificam, non possunt non in altum trudi & continuo adscendere, donec perveniant ad aërem pàris omnino gravitatis specificæ. Res enim eodem fere modo sese heic habet, ac cum frustum ligni ad fundum aquæ detruditur, quod sibi libere commissum, supremam aquæ oram versus confestim tendit. Audiamus insuper de conditione hujus motus Cel. Scheuchlerum differentem: *Wann in betrachtung / ait, gezogen wird / daß die lufttheile selbs unter sich eine etwelche Zusam- menfügung haben/ welche muß durchtrüngungen oder überwunden werden/ so ist ohnschwer zuermessen/ daß sie wol die wässerigen als trucken dünste/ in der luft können hangen bleiben. Einmal ist gewiss/ per- git, daß dem fall der wolken/ allein widersthet die luft/ diese folglich/ weil jener nicht erfolget/ von glei- cher specific-Schwere sein muß mit deren wolken selbst.* Vid. Phys. Tom II. p. 243. Quicquid au- tem sit de hac retardatione ex defectu perfectæ flu- ditatis, seu tenacitate mutua particularum aërearum oriunda, id tamen extra dubium est, quod ceteris paribus, quo densior est massa vaporum coacerva- torum, eo viciniores superficie terrestri hærent nu- bes; quo autem tenerior eadem est, eo altius ad- scen.

scendunt. Hinc non raro observare licet nubes ad diversas altitudines (*b*) elevatas, quarum alia supra aliam & quidem non raro secundum diversas directiones movetur.

§. IV.

Cum itaque talis sit ratio nubium, certe oleum ac operam perderet, qui earum determinare vellet figuram valde irregularem. Omnibus quidem corporibus determinata competit figura, siquidem eorumdem volumen datæ magnitudinis hac non alia superficie

B

(*b*) Celeb. Derhamus in Phys. Theol. p. 188. seqq. ex Varenio David. Frödlichum, in cacumine montium Carpaticorum Anno 1715. nubium diversam observantem distantiam, loquentem introducit, quod in nostra translatum lingua ita sonat:,, Då jag ej var långt, inquit, ifrån högsta spissen och stod stilla, så såg och märkte jag tjocka och,, hvita skyar röra sig, öfver hvilka jag kunde se några mil,, bort --- dock märkte jag andra skyar som voro högre,,, andre nedrigare, samt nagre som voro i lika afstånd i-,, från jorden. Och häraf fan jag 3 ting. 1. At jag då,, war kommen öfwer början af den mediare luften. 2. At,, skyarna hade olika distance ifrån jorden. 3. Att skyarne,, ej efter någras föregifwande gå 72 utan allenast en half,, mil ifrån jorden.,, Quamvis vero certos distantiae nubium a terra ponere non liceat terminos, probe tamen ostendi potest, ipsas in immensum a nobis non esse remotas. Ex observationibus enim circa refractionem radiorum solarium in crepusculis institutis firmiter evinci potest vapores vix ultra 10 millaria Germanica in altum adsurgere, Vid. C. Wolfg. Astron, Part. I, p. m. 416.

perficie, ex lateribus planis aut curvis composita, immittatum est. Prouti vero superficies innumeris modis, qua magnitudinem & numerum situmque laterum variari possunt, sic quoque mutatur corporis figura; itaque si quovis fere momento contingat ejusmodi mutatio, sufficiet variabilem dixisse talis corporis figuram, determinationem vero ejusdem attentasse nihil omnino juvabit. Hoc de nubibus teneto. Etenim nubes, quæ parum cohæret, vel a levissimo motu ventorum indesinenter agitatur, atque adeo, ob summam fluiditatem materiæ, instar Protei, non solum in mille figuras quasi mirabiliter convertitur, sed etiam quoad voluminis magnitudinem, alia atque alia de caussa, vel rarefacta intumescit, vel condensata coarctatur. Hinc nubes totum instar panni expansi jam obtegentes cœlum, mox dissipatas æquales vel asperas superficies præse ferentes, & huc illuc vagantes observamus. Dum vero sic diversæ figuræ, diversa crassities (c) & densitas,

(c) Crassities nubium facili negotio ex copia pluvia delapsæ hypothetice determinari posset, si fundamenti loco substernamus, datam esse gravitatem specificam nubigosi vaporis. Ex. gr. Experimentis detectum est calore, qualis est aquæ ferventis, aquam resolvi in vaporem, cuius volumen sit vicibus 14000 majus quam erat aquæ non dum resolutæ. Pone jam tantam quoque in nube esse raritatem vaporis; pone quoque quantitatem aquæ pluvialis ex una eademque nube delapsæ esse unius digiti, scil. quatenus eam metiuntur Meteorologi; eritque crassities nubis, quæ

densitas, diversusque respectu ad solem situs nubibus competunt, varium hæ adspectum efficiunt, scilicet radios solares incidentes vario modo dispergunt, quosdam transmittunt, quosdam intercipiunt, quosdam reflectunt; quandoque maximam partem absorbent, atque sic obscurum atrumque præbent colorem; quandoque radios, sine ulla fere mutatione vel separatione quaqua versum reflectunt, & lumen copiosum reddunt, albumque colorem ad oculos deferunt; quandoque rubro, cæruleo aliisque micant coloribus; hæc vero phænomena adscribenda sunt partim diversæ radiorum solarium in nubibus refractioni, partim reflexioni, partim quoque aliis radiorum luminis nec non ipsorum nubium affectionibus.

§. V.

Innuimus supra (§. II.) effluvia non tantum ex aqua, verum etiam variis aliis corporibus egressum moliri. Retinent vero hæc effluvia eandem naturam, quam in suis massis integris antea haberunt. Sic mercurius calore evaporatus, si colligatur, in massam mercurii constituendam reddit. Sulphuris purificati fumus in florem, atque hic rursus in sulphur abit. Canis rabidus hominem mordens eundem rabidum facit. Artis coquinariæ peritus varia aromata cibo immixta odore distinguit,

sic jam per modum pluvias delapsa est, digitorum 14000, seu ulnarum 700.

& sic porro. Hinc fit ut qualem in se mutuo actionem exserunt varia corpora, talem quoque in atmosphæra edant eorundem effluvia. Dantur autem varia corpora, quæ permixta gradum caloris insigniter permutant; sic spiritus nitri affusus nivi vel glaciei contulæ, frigus intendit longe ultra utriusque partis componentis vel aëris circumstantis temperiem; contra, aqua fontana spiritui vini reficato affusa calorem auget; si Spiritus nitri affunditur guttatum oleo essentiali vegetabilium, calor cum effervescentia mox excitatur, si vero non guttatum, sed in majori copia & subito affunditur, in flammam ardenter erupit & sic porro. Sed quis recensere valet omnia phænomena, quæ vel ex variantibus fluidis alio atque alio modo permixtis suboriri possunt. Id tantum sufficiat hinc conclusse, quod diversa effuvia in aëre natantia, tanquam a semetipsis & abstrahendo ab actione siderum, & frigescere & incalescere queant. Pone itaque stratum aliquod effluviorum vel ignem vel insignem caloris gradum subito concipientium, & quidem vel infra vel supra vel juxta nubem, vapore aqueo gravidam in atmosphæra situm; fiet hinc ut stratum istud subito expandatur. Itaque in nube vapores, qui strato isti vicini sunt, subito perluntur versus ulteriores, quo facto tanta fieri potest vaporum condensatio, ut in guttulas confluant, atque sic pluvia vel imber efficiatur. Non est heic locus objectioni: Calore effervescentis aut ardentis istius strati rarefieri potius quam condensari materiam

materiam nubis, adeo ut serenitas, non item pluvia, ex hisce suppositis sequatur. Etenim subitanus iste calor subito perit, quemadmodum accenso pulvere pyro contingere notum est. Similiter in pluviam resolvitur nubes, si stratum effluviorum subiacens subito refrigescat, sic namque subito condensatur idem stratum, & per consequens subito decidit nubes ei superincumbens; dum vero sistitur nubis decidentis impetus, resistente tandem aëre vel forte nube inferiore, non potest non *id* fieri absque compressione nubis cadentis, unde rursus patet pluviam sic generari. Immo ipsi nubi tantum accidere potest frigus, ut immediate exinde pluat. Præterea vero & ex aliis caussis oriri possunt pluviæ. Si enim cogitamus ista phænomena, quæ attractionum nomine vulgo veniunt, & quæ semper & ubique ferre occurunt; quis non videt, etiamsi occulta sit vis naturæ horum phænomenorum genitrix, fieri itidem posse, ut agentibus ejusdemodi attractionum viribus in mutuos quasi amplexus ruant vaporis particulae, adeoque in guttulas pluviales mox decisuras confluant. Posito jam, quacunque de caufsa pluviam generari, si contingat guttula majori frigoris gradu constringi, in varias figuræ regulares coalescunt guttulae, nomine nivis jam compellandæ; si vero deciduae guttulae in alternis nubium stratis, per quæ dilabuntur, modo intensiori frigore congelascant, modo remissiori frigore fluescant, formam grandinis sic consequuntur. Iisdem hisce positis, guttulae, quæ in nebula concrescunt, pruinam constituant;

stituunt; manifestum namque est, magnitudinem guttarum pluviae, floccorum nivis, granorumque gran-dinis, ceteris paribus, dependere ab altitudine seu crassitie nubis, per quam concrescendo decidunt, quatenus quidem eo maiores evadunt, in quo plures particulas sibi coadunandas incurunt. Tandem & id patet ex formatione pluviae jam explicata, quod nimirum pluvia in nubifragium vel imbre degeneret, si turbine venti, vel ventorum contrariorum violentia nubes vel in gyrum agantur vel compri-mantur. In tali enim agitatione, quid mirum, si nu-bes, pluviam non guttatum, sed ex urceis quasi ef-fusam præcipitent.

§. VI.

Leviter jam adumbrata nubium indole, ratio in-stituti postulat, ut aliquid teleologici, unde sa-pientiae & bonitatis summi Opificis vestigia, in illis occurrentia, eo clariora evadant, adjungamus.

In campum itaque properaturi primo observa-mus, quod *Nubes* sint collectio vaporum in altiori aëris regione, halitibus etiam interpersorum (confr. §. II. V.) Quantus hinc redundet usus in propatulo est. Si enim tot effluvia, quot terra, aqua, mineralia, vegetabilia & animalia amittunt, more nebu-larum terræ incumberent & inferiorem occuparent atmosphærā, quis dubitet, conditionem viventium in tanta vaporum & exhalationum copia miserri-mam evasuram. Gratum non tantum desiderarent prospectum homunciones; sed & quævis noxia & venenis

venenis inquinata effluvia quotidie quasi imbiberent, suffocationisque periculum, pariter ac reliqua animantia, & fatale exitium cito subirent. In spissa adeo nebula eademque fere continua, & humida caligine, terra quoque calore solis suo quasi pabulo orbata, plantarum herbarumque alimentum denegaret animalibus. Quemadmodum itaque in eo sapientissima conspicitur dispositio, quod superflua & nociva quævis animalium & vegetabilium, æque ac aliorum corporum effluvia egrediantur & in altum adsurgunt, ita in eo veneramur Sapientiam & beatitudinem Optimi Moderatoris, quod mixtura illa viciniam nostram plerumque fugiat, & partim in nubes colligatur in superiori parte aëris hærentes, partim hoc & illuc per vastam aëris dissipetur amplitudinem, ne illa nobis adferat incommoda. Contra vero in magno aëris laboratorio chemico, ita subigitur indolemque commutat suam, ut quæ nociva fuerint, saluti nostræ maxime evadant proficia. Hinc nullam vegetabilibus acceptiorem aquam pluviatili unanimiter conclamat hortulani.

§. VII.

NUbes sunt ditissima aquarum promtuaria earumque per totum orbem distributores. Dictum est (§. II.) aquam, tam ob insignem in superficie terrestri existentem quantitatem, quam ob connatam evaporandi facilitatem, quatenus scilicet est corpus fluidum & minus cohærens, continuis ditare atmospharam vaporibus, ut reticeam reliqua corpora aliquid humidii etiam emittentia. Materia illa aquæa in nubes collecta,

lecta, accedente quadam causa impellente, in guttulas cogitur & ad pluvias destillatione formandas est promptissima. Porro, in fluido aëreo hospitantur nubes, & cum eo in æquilibrio sunt; a minima itaque agitatione ab uno in alium transferri facilime possunt locum. Jam, licet vapores, qui ut plurimum ex maribus, lacubus flaviisque exsurgunt, hydrogrias supra ea ipsa loca forment, in eadem tamen, unde munera acceperunt, accepta non unice effundunt, verum beneficio aëris, qui nunquam fere tam immobilis est, ut non in aliqua sit agitatione, & ventorum aliis hue & illuc commeant, & irrigando sufficientem pro indigentia terram, nectar cœleste per totam, quaqua patet, continentem dispensant. Quo ipso aërem quoque halitibus venenosis abundantem purgant & respirationi idoneum reddunt atque salubrem. En admiranda oeconomia! Aquarium circulatio in venis terræ, æque necessaria est magnæ genitrici, ac sanguinis in animalibus, a qua solidæ eorum partes originem vigoremque habent & roboris sui culmen attingunt. Decrescente & cessante circulatione sanguinis, labefactantur vires, & ad interitum vergentes tandem destruuntur. Sic fœcunda mater, dum æstus solis eam adurit vaporesque elicit, nisi humores amissi, aquis pluvialibus compensentur, non posset non brevi enervari & exsangvis evadere. Exsiccata terra, quid mirum, si plantæ, herbæ arboresque rigidissimam experiantur novercam, in cuius gremio, nullo suppeditato pabulo, palleant, marcescant, & omni ornamento denudatae tandem penitus

penitus emoriantur, ac perituras maximos instantis animantium destructionis quasi excitent clamores. Hoc funesta comprobat experientia. Obstructis enim quasi fenestris coeli per aliquod temporis spatium, jussu irati Dei, tempore astivo, quantæ fissuræ telluris cernuntur siccitatem exprimentes! quantæ quærelæ hominum! quanta desideria pecudum loca inveniendi palustria, ubi humectando refocillent vires evanidas; quam languidae & pallidae segetes, plantae & herbæ, gratam & subitam postulantes imbrum refrigerationem, ne præcoci senectute obruantur & mortuæ humi procumbant pessumque eant. Immo in tanta aquarum penuria, omnia suam fastidiunt conditionem. Haec certe calamitates luculenter ostendunt, thesauros nubium tanti esse pretii, ut illis plane negatis, tota fabrica ad interitum brevi admodum tempore vergat. Præterea, nec fontium & fluviorum, nulla superveniente pluvia, diutinus daretur usus, sed omnia in solitudinem, plus quam Africanam, abirent. Cum ergo ejusmodi formatæ sint hydragogiae, huic malo tanto medelam adferentes, quæ non tantum fontium fluminumque perennitati, verum & huc illuc ventis latæ, distribuendo pluvias, fertilitati terræ prospiciant, luculentissimum hinc habemus indicium benignitatis Sapientissimi Artificis. Quid mirabilius aquis in cœlo stantibus? eadem carentes omnium terra nascentium caussa fiant, prorsus mirabilis natura, si quis velit reputare, ut fruges gignantur & sustentur, arbores fruticesque vivant, in cœlum migrare aquas animamque etiam herbis vitalem inde deferre. Sunt verba Plinii Hist. Nat. L. 3. C. 1. Insuper, præter aquationem terræ, frigore hiemali instante, naturaque quasi dormiente, radices vegetabilium insectorumque ova, nive ceu tegumento optimo muniunt custodiuntque nubes, ut sicco præteream pede, quod haud minima ex niye in nos redundant commoda.

C

§. VIII.

§. VIII.

Uibracula & jucundum refrigerium præbent Nubes, illo præfertim tempore, quo alioquin sol ferventissimus a- gros combureret terramque exsiccaret, vegetabilia mar- cida & pene mortua, animaliaque defatigata & laboribus imparia redderet. Etenim hæ, quæ modo totum obducunt cœlum, modo dissipatae in omnium conspectu agitantur, di- uszando varium respectu solis & terræ accipiunt situm. Adde, quod laxe & irregulariter sint condensatae, ut par- tim absorbendo, partim refringendo & reflectendo (§. IV.) radios solares varium in modum versent, atque admiranda eolorum lucisque varietate vehementer delectent. Hinc nubes solis calorem ita temperant vel minuendo vel augendo, ut vires vitæ tam animalium quam vegetabilium debilitatæ reficiantur, exæstuantes fedentur, omnibusque justa ratione temperatis, & vivant & vigeant, quibus vitam concessit Summus rerum Arbiter. Lumen quoque solare ita dispergunt, ut objecta in superficie telluris constituta, quæ a radiis illuminari ne- queunt directis, visibilia tamen fiant post factam radiorum vel refractionem vel reflexionem. Insignis itaque est nubium vel in hoc momento utilitas, quod aëris conservent tem- periem, & æstum solis optime moderentur. Nimia enim intensitas ardoris aque molesta & perniciofa est omnibus in terra viventibus & crescentibus, ac temperamentum ejus- dem justum est pernecessarium, vel frigus immodicum in- tolerabile.

§. IX.

Quam præterea nubes temperiem & salubritatem aëris immediate efficere non valent, eam ventos excitando præstare conantur. Inter alias namque caussas ven- torum, nubes quoque numerandas esse contendimus. Quic- quid enim sic æquilibrium aëris destruit, ut sensibilem producat aëris fluxum, ventum efficit. Tales vero alte- rationes

rationes a materia nubium aëri inferri, ex iis, quæ §. V.
 dicta sunt, luculenter pater. Scilicet tenendum est, quam
 plurima corpora, adeoque & ipsorum effluvia ejus esse
 indolis, ut si vi ignis in subtiliorem vaporem redigantur,
 vapor qui sic generatur, non solum durante actione ignis,
 maxime elasticam tenuissimamque materiam constituat, ve-
 rum etiam, extincto igne refrigeratus eundem expansionis
 statum conservet, saltim non nisi lente atque post longum
 tempus eundem deferat, cuius rei experimenta, a se facta,
 sat multa describit Cel. Hales in statica Veget. Si igitur,
 ingens quoddam stratum aëris in talem materiam multo ma-
 gis expansam quam antea convertatur, retineatque post-
 modum adiuvatam sic vim elasticam; quis non intelligit
 magnos sic motus seu ventos in atmosphera excitari. I-
 temque, si quæ nubes prægrandis, magna aquarum copia tur-
 gens, in pluviam resolvatur, amittit atmosphera pondus a-
 quarum, quod ante gestavit, neque restituetur æquilibrium,
 nisi in locum amissi ponderis adfluat aër ex locis vicinis,
 hoc est, nisi spirat ventus, atque sic in ceteris. Quis hoc
 ut admiratione dignum non suspexerit? Nubes ut longiori
 terrarum tractui pluviae beneficium contingat & rite dispen-
 setur, immo ne terra nimiis imbribus vexetur, ipsamet, o-
 mni quasi studio, promovent suam ex uno loco in alium trans-
 lationem. Assidua etiam ventorum vexatione aërem red-
 dunt utilem vitalemque tracturis, propellendo scilicet noc-
 ıvum & torpidum neque eundem putrefactare permittendo, &
 halitus, per eum disseminatos, dissipando noxios. Venti
 plantarum vegetationi & succi vitalis circulo, motu subve-
 niunt, ut robur & maturitatem consequi possint, quo subla-
 to, ægre vitam trahunt, ut alios eximios, quos præstant
 usus venti, jam prætereamus, candidum ablegando Lectorem
 ad egregiam, de Utilitate ventorum, dissertationem, Aboæ ha-
 bitam 1751.

Brevissime sic & leví penicillo, nubium structura, præcipuis commodis & necessitatibus delineatis, verba Cel. Derham, tandem his adponimus : „ Det kan ingen neka, „ inquit, att ju detta är ett wärk af den stora skaparens „ wis het och allmakt. Hwem wille säga eller allenast „ tänka, att en sådan Kropp, som är så åtskild ifrån „ jordklotet, för hwars skull den gjord är, härrkommit af „ en händelse: Eller att den så noga skulle vara intat- „ tad till alla förbemälte affliger och mångahanda ända- „ mäl, af någon annan ordsak, än igenom den oändeliga „ Gudens ewiga allmakt, kraft och wifhet. vid. Ph. Theol. D. 39. Proni itaque supplices Summi Opificis Sapientiam & bonitatem adoremus, qui naturam rerum tam admirabili adornavit artificio, ut terra visitetur pluvia de-
siderata atque fulcos inebriante; annus coronetur bono
& iemitæ ejus stillent pingvedinem

Ps. 65. 12.

Cui sit Gloria in Secula nunquam terminanda.

